G Quæ ergo propter mentis imbecillitatē nō pos-
Infra.10. sunt continere carnis impulsionem, nubant, ne in barathrum diaboli per fornicationem corruant. Nam[melius est nubere quàm vri]ardore desideriorum carnalium. Sine culpa scilicet ad coniugium veniunt, si tamen necdum meliora deuouerunt. Ideo autem melius est nubere, quia peius est vri. Melius enim ad cōparationem deterioris respicit, non ad simplicitatem incomparabilis per se boni, velut si dicatur, Melius est vnum oculum habere quàm nullum. Vri autem est desideriis carnis æstuare. Cum enim mens calori carnis consentit, vritur. Pati vero desideria & nō vinci, illustris viri est & perfecti.

His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, vxorem à viro nō discedere. Quòd si discesserit, manere innuptā, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.

Matth.5. & 19. Marc.10 Luc.16. Innuptis & viduis suadeo vt sic permaneant, sed[his qui sunt iuncti matrimonio,]id est, viris & fœminis, qui iam copulati sunt in coniugio, H [non ego]præcipio,[sed dominus] ipse per euangelium præcipit, [vxorem à viro non discedere. Quod,]id est, sed[si] ab eo[discesserit]ea causa qua dominus permisit. i. propter fornicationem viri, præcepit eam dominus[manere innuptā,]dū vir eius vixerit:[aut]si se non continet, [reconciliari]potius[viro suo]vel correpto, vel tolerādo, quàm alteri nubere. sed tamē particeps delicti mariti incorrepti fiet. [Et vir vxorem nō dimittat.] quia si fornicata fuerit, nō est vxor legitima, ideóque potest dimitti. & subintelligendum est idē de viro, quod de vxore præmissum est, vt si vir vxorē dimiserit ob fornicationem ei⁹, maneat incōiunctus: aut si se non potest continere, reconcilietur vxori suæ, vel correptæ vel tolerandæ. Tamen si correpta non fuerit, particeps fiet peccati eius vir
Sup. 6. Prou.18. qui eam tenuerit. Quoniā qui adhęret meretrici, vnum corpus efficitur. & vt Salomon ait, Qui I tenet adulteram, stultus est & insipiēs. Hæc de his dicta sunt, qui post acceptionem Christianitatis sociati sunt in coniugio. De illis autem quos fides in coniugio inuenerat, subditur:

Nam cæteris ego dico, non dominus. Si quis frater habet vxorem infidelē, & hæc consentit habitare cum illo, nō dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virū infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virū fidelem. Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

Vbi vterq; fidelis est, præcipit dominus ne dissocientur. [Nā cæteris].i. illis qui non ambo sunt K fideles, sed vnus credidit, alter in infidelitate permānsit, [ego dico, non dominus.] Si quis frater & cætera. Quoniam ab infideli discedere nec prohibet, nec iubet dominus, ideo vt non discedat, Apostolus dicit, non dominus, habens vtique spiritum sanctum, in quo dare posset vtile & fidele consilium. Quod vtique monendum, non iubendum fuit: quia non tanto pondere prohibēdi sunt homines facere licita quæ non expediant, quanto prohibentur illicita. Cum ergo ait, ego dico, non dominus, satis ostendit dominum non prohibere quod ipse prohibebat. Itaque licitū erat per iustitiam, sed etiam licitum non erat faciendum propter liberam benevolentiam., scilicet vt credens relinqueret non credentem: quia fortasse conuersurus eum erat ad fidem. Prohibuisset autem dominus, si esset illicitū. [Si quis frater,]id est, Christianus[habet vxorem infidelem,]cui sociatus sit antequam veniſſet ad fidem,[& hæc consentit ha L bitare cū illo,]id est, nō abhorret eū propter fidē Christi, nec execratur quod Christianus est,[non dimittat illam:] quia & ipsa postmodum fortasse fiet Christiana, si cum eo fuerit assidua. Iam enim aliquantulum facta est domestica, quod virum patitur Christianum. [Et] eo modo [si qua] Christiana [mulier habet infidelē,] cui sociata sit antequam crederet, [& hic consentit habitare cum illa,]quam scit Christianā, nec ideo abhorret illā, [nō dimittat virum,]quia iam in aliquo domitus est. Hoc non præceptum, sed consilium est Apostoli & admonitio. Si quis verò aliter fecerit, non erit præcepti transgressor, sed Apostoli consilium non tenebit. Cum autem propter infidelitatem Matth.5. coniunx dimitti possit, & iuxta domini sententiam dimitti nequeat nisi causa fornicationis, manifestum est & infidelitatem esse fornicationem. Quia scilicet idololatria, quam sequūtur infideles, & quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis cōiugem dimitti. Sed quia permisit, non iussit, dedit Apostolo locum monendi, vt qui voluerit, non dimittat infidelem, quia sic forsan fiet fidelis. Po- M test enim esse multorum occasio lucrandorum, si fideles coniuges in relinquendis infidelibus permissa licentia non vtantur. [Sanctificatus est enim,]id est, sanctus effectus est,[vir qui erat infidelis, p mulierem fidelē: & sanctificata est mulier] quę prius erat infidelis,[per virum fidelem.] Credendum est, quia iam prouenerat vt nonnulli viri per vxores fideles, & fœminæ per viros fideles in fidem venirent. Et quamuis non dicens nomina, exemplis tamen hortatus est ad confirmandum consilium suum. Deinde subiecit:[Alioquin,] id est, si dissociaretur coniugium vestrum,[filij vestri essent immundi,]id est, spurij, non legali copula nati. [Nunc autem sancti sunt,]id est, mundi, quia vos in vestro coniugio manetis. iam enim erant paruuli Christiani, qui siue autore vno ex parentibus, siue vtroque consentiente, sanctificati erant baptismate. Quod non fieret, si vno credēte

dissociaretur